



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

In Genesin Enarratio

Chyträus, David

Vitebergæ

VD16 C 2625

I. De Deo & de Mysterio Trinitatis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36126

25
CAPVT PRIMVM.
M V M.

Loci præcipui Quatuor.

- I. De Deo & de Mysterio Trinitatis.
- II. De Creatione omnium rerum.
- III. Testimonia Prouidentie Dei.
- IIII. De Imagine Dei in Homine, seu Qualis fuerit Homo conditus.

I.

DE DEO.

ERudita & integra descriptio Dei & Trium personarum Diuinitatis, in hoc Primo capite Geneseos proposita, initio consideretur.

DEVS est essentia æterna, alia à Mundi corporibus, Creans omnes res alias, intelligens, libera, omnipotens, bona, uerax & iusta, Pater æternus gignens Filium Imaginem suam, & Filius Imago Patris ab æterno ge-

C 4 nita,

nita, & Spiritus sanctus fouens & uiuificans, Quæ diuinitas Cœlum & Terram, ac omnes creaturas ex nihilo creauit, & seruat, & in genere humano condito ad Imaginem suam, eligit sibi Ecclesiam, à qua in æternum agnoscat & celebretur.

Huius Definitionis singula membra eruditè possunt ex huius primi Capitis testimonijs extrui.

Primum enim esse Deum essentiam æternam testatur, cum inquit, Deum in principio creasse cœlum & terram. Fuit igitur ante creaturas. Cumq; non sit creatus, Sed habeat esse à seipso, necesse est æternum esse. Deinde Quod sit Essentia alia à Mundi corporibus, creans omnes res alias, eadem uerba testantur, Fuit enim ante omnia Mundi corpora, & creator in infinitum differt à creatura.

Quod sit intelligens & sapiens essentia, ostendunt hæc uerba, Dixit Deus. Item, Vidit Deus omnia quæ fecerat, & erant ualde bona.

Quod sit omnipotens, conuincit creatio rerum ex nihilo.

Quod sit Essentia bona, uerax, iusta & libera, testatur creatio Hominis, cui ad imaginem Dei condito hæc dona insita sunt, Impossibile est autem effectum toto genere deteriores esse sua causa.

TRES

TRES PERSONÆ, Pater, Filius, & Spi-
ritus sanctus, initiò significantur plurali uoc^e
אלהים Elohim, Nam Ebraica uerba perinde so-
nant, ac si ita legas, In principio creauit Dij coelum
& terram. Item infra plurali uerbo נאסע Na-
se, & plurali affixo נו Nu, Faciamus hominem ad
Imaginem nostram. Et de Spiritu sancto, qui est ter-
tia persona diuinitatis, disertè dicitur, Spiritus Dei
ferebatur super aquas.

Veteres etiam in his uerbis, DIXIT DEVS,
duas Personas significari senserunt. Vnam Patris di-
centis & gignentis Verbum, quod est Imago sui,
per quod omnes res condit. Alteram λόγος seu
Verbum genitum à Patre, per quod omnia facta
sunt.

Et ad hanc narrationem in Genesi, respexisse
existimant Iohannem, cum Filio Dei tribuit adpel-
lationem λόγος seu Verbum.

Iohan. 1. In Principio erat Verbum, & Verbum
erat apud Deum, Et Verbum erat Deus, hoc erat in
principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt,
et sine ipso factum est nihil, quod factum est, In ipso
uita erat, & uita erat lux hominum &c.

Psal. 33. Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spi-
ritu oris eius omnis exercitus eorum.

Col. 1. Transtulit nos in regnum Filij sui dilecti,
per quem habemus redemptionem per Sanguinem
eius, remissionem peccatorum, qui est Imago Dei in-
uisibilis,

C 5

uisibilis primogenitus omnis Creaturæ. Quoniam per ipsum condita sunt omnia, quæ in cælo & quæ in terra sunt, uisibilia & inuisibilia, siue Throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates. Omnia per ipsum & in ipsum condita sunt, & ipse est ante omnia.

Ebræ. 1. Deus postremis diebus locutus est nobis per filium, quem posuit heredem omnium, per quem & secula fecit, qui est splendor gloriæ, & expressa Imago substantiæ eius, sustentans omnia Verbo potentie sue.

Hæc testimonia non solum lucem afferunt lectioni huius Capituli, sed etiam illustrem descriptionem filij Dei seu λόγος suppeditant, quam hoc loco recitabo, ut etiam in cæteris locis librorum Moysi, in quibus testimonia de filio Dei extant, studiosis in conspectu sit.

FILIVS DEI est secunda persona diuinitatis, non creata ex nihilo, sed ab æterno genita de Patris substantia, & est λόγος & substantialis ac integra imago æterni Patris, ὁμοῦσιος Patri, per quem Pater omnes res condidit, & Euangelion de redemptione & salute hominum immediate patefecit, Qui Filius adsumsit humanam naturam, ut sit
noster

noster Mediator & Redemptor, ac ut per idem Verbum, quo condita est natura, quod est Imago æterni Patris, rursus uiuificetur nostra natura, & restitua- tur in nobis Imago Dei.

Cause etiam considerentur, Quare filius Dei nominetur ΛΟΓΟΣ, seu VERBUM, seu SERMO.

Primum. Respectu æterni Patris, Quia est imago mentis paternæ, in qua imagine ipse Pater integre lucet. Sicut nostræ mentes cogitando formant imagines rerum, et noster sermo est imago cogitationum mentis. Sic enarrat Basilius pag. 357. Διατι λόγος? ίνα δεχθῆι ότι εκ τῆς Νῦ προήλθε διατι λόγος? ότι ἀπαθῶς ἐγενήθη. Διατι λόγος? οὐ εἰκῶν τῆς γενήσαντος, ὅλον ἐν ἑαυτῷ δεικνύει δὲ γενήσαντα. καὶ τέλος ὑπάρχων καὶ ἐαυτῶν, ὡς καὶ ἡμέτερος λόγος ὅλων ἡμῶν ἀπακόμιζα πῶ ἐννοιαρ καὶ ὅτι τῆς ἐν τῆς καὶ δία νοήματα ἀπακόμιμα δὲ λέγεται ὡς c. Hoc est. Quare dicitur λόγος? Ut ostendatur, quod ex mente prodierit, et sine passione Mentis genitus, sit imago Patris, totum in sese ostendens Patrem, et perfectus existens per sese, sicut et noster Sermo totius cogitationis effigies est.

Fere iisdem uerbis utitur Gregorius Nazianzenus in descriptione filij Dei. λόγος λέγεται, ὅτι οὕτως

οὕτως ἔχει πρὸς τὸν πατέρα ὡς πρὸς νῦν λόγος,
 οὐ μόνον διὰ τὸ ἀπαθὲς τῆς γέννησεως, ἀλλὰ
 καὶ διὰ σωματικῆς, καὶ διὰ ἰσχυροῦ. Hoc est,
 Dicitur λόγος, Quia se habet ad Patrem, sicut
 Verbum ad Mentem, non tantum quia Mens pariens
 Verbum nihil patitur, (non scinditur aut diuiditur)
 Sed etiam quia perpetuò coniunctum est Patri, &
 quia annunciat nobis Euangelion.

Augustinus lib. 9. de Trinitate, Cap. 12. Mens est
 quasi pariens & noticia eius quasi proles, Mens
 enim cum se agnoscit, noticiam sui gignit, quæ est
 imago sui. Tertius est Amor, qui de ipsa mente &
 Noticia procedit, dum Mens cognoscit se, & diligit
 se &c. Sed huius primæ causæ consideratio in hac
 mortali uita penitus peruestigari non potest, &
 erit sapientia, quam in uita æterna integrè disce-
 mus.

Deinde Filius nominatur λόγος Respectu no-
 stri, Quia nos alloquitur, & arcanum decretum de
 Creatione & redemptione hominum ex sinu æterni
 Patris prolatum, Primus reuelauit. Ioh. 1. Filius qui
 est in sinu Patris, ipse enarrauit. Sic Irenæus dicit fi-
 lium dici Verbum, quia sit persona quæ locuta est
 cum Patribus, edens promissiones de uenturo Semi-
 ne. Ideo à Nazianzeno uocatur ἰσχυροῦς.

Tertio, Quia conseruat ministerium huius sui
 Verbi seu Euangelij, & per illud efficax est.

Quarto, Quia dicendo, seu Verbo suo, ueram
 agnitio-

agnitionem eterni Patris in mentibus nostris accendit. Matth. 11. Nemo nouit Patrem nisi Filius, & cui Filius uoluerit reuelare. Iren. eus lib. 4. cap. 14. Deum scire nemo potest, nisi Deo λόγῳ docente. Et cap. 16. Omnes qui ab initio cognitum habuere dominum, reuelationem acceperunt ab ipso Filio, qui & nouissimis temporibus uisibilis factus est, & cum humano genere locutus est.

Quinto, Quia in cordibus nostris dicit Consolationem, qua uiuificat corda, & per Spiritum sanctum leticiam & inuocationem in eis accendit.

Vt enim in prima creatione Hic λόγος seu Verbum, dedit hominibus uitam & lucem, que fuit imago Dei, qua Deum agnoscebant, & ei perfectè in omnibus actionibus obediebant: ut Iohan. 1. dicitur, In ipso uita erat, & uita erat lux hominum. Ita postquam in mortem & eternas tenebras lapsi eramus, rursus immensa misericordia, idem Verbum, per quod conditi sumus, lucem ueræ agnitionis & uitam eternam in nobis instaurat.

Hanc commonefactionem de causis, Cur Filius λόγος nominetur, addere uolui huic dicto, DIXIT DEVS, ex quo Iohannes descriptionem filij Dei petiuisse existimatur.

Oro autem filium Dei λόγῳ ἢ εἰκόνα eterni Patris, ut nos doceat, et eternum Patrem nobis monstret.

Spiritus sancti descriptionem recitabo in enarratione

ratione dicti, Spiritus Dei ferebatur super aquas.

Nunc piam & nenustam cogitationem de Myste-
rio Trinitatis in tribus primis literis Bibliorum pro-
posito, Studiosi meminerint. Sunt enim tres primæ
literæ, in duab. primis dictionibus Geneseos, initia-
les earum dictionum, quibus tres personæ diuinitatis
nominantur, בראשית ברא ברא Bereschit Bara.

בן Ben. Filius.

רוח Ruah. Spiritus.

אב Ab. Pater.

Ac ponitur Spiritus sanctus in medio, Quia nex-
us est mutui amoris inter Patrem & Filium.

II.

DE CREATIONE
OMNIVM RERVM.

Primum opus Dei, in quo se patefacere & boni-
tatem ac sapientiam suam lucere & conspici uoluit,
est Creatio huius pulcherrimi theatri nature re-
rum, quam in hoc Capite Moses describit. Breuiter
igitur doctrinam de Creatione usitatis Questioni-
bus Methodi inclusam recitabo.

Creare apud Latinos significat designare, de-
nunciare, seu declarare, Sed in Ecclesia significat ex
nihilò aliquid fabricare. Estq; infinitum discrimen
inter Gignere & Creare, Nam Gignere est ex sub-
stantia sua aliquid producere, ut æternus Pater Fi-
lium ex sua substantia gignit, non ex nihilò creat, si-
cut